

Cap. LXXXV. Rubrica de mutuatoribus qui mutuare debeant ad quatuor par. pro libra et non venire in palacio.

- 5 **S**tatuimus quod quilibet mutuare possit civibus et habitatoribus ac districtualibus Tergesti denarios, tam super pignoribus quam super cartis, sine aliquo preiudicio alicuius pene statutorum Tergesti, ad usuras // pro precio consueto. 285 A
- Et nulli alteri persone forensi mutuare possit nec debeat super pignoribus vel cartis, sub pena quinquaginta libr. par. pro quolibet contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Pre-
10 terea quelibet persona mutuans sub usuris in civitate(m) Tergesti mutuare debeat ad quatuor par. pro qualibet libra par. super pignoribus, ad sex par. pro qualibet libra par. super instrumentis preceptis sive aliis scripturis, tam manu propria
15 scripta quam non, et non ultra, sub pena vigintiquinque libr. par. pro qualibet persona et vice qualibet contrafacta, et sub pena amittendi in comuni totum id quod mutuassent; qui mutuatores conservare debeant pignora eis pignorata per dictos cives habitatores vel districtuales usque ad unum annum con-
20 pletum, postquam dicta pignora fuerint eis subpignorata; et in fine anni comparere debeant coram dominio Tergesti, et facere convenire personam seu personas que talia pignora pignoras-
sent, et eisdem denuntiare coram dicto dominio quod talia pignora exigere debeant, quam denuntiationem scribi facere
25 debeant per cancellarium comunis; et facta dicta requisitione, si infra quindecim dies subsequentes talis persona una vel plures talia pignora non exigerint, tunc elapsis dictis quindecim diebus, dicti mutuatores possint et valeant cum licentia domini ipsa talia pignora vendere vel alienare ad eorum vo-
30 luntatem, et predicta observare teneantur sub pena superius nominata. ¶ Preterea contradicimus quod nullus // publicus 285 B
fenerator nec eorum factores mutuantes in civitate Tergesti sub usuris, qui sint de natione civitatis Tergesti, sit ausus nec presumat venire in palacio comunis sub pena quinquaginta
35 libr. par. pro quolibet ipsorum contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Et quilibet acusare possit cum testibus, et